

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema LXXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

idem faciunt. Serius hoc Manasses & Iatro. Tamen patiantur se reduci.

At Judæi recalcitrantes sunt. Act. 13. v. 46.

Hoc serio cogitandum sapius: & probe notandum, omnia supra dicta pertinere ad oves: non ad cæteros, qui sunt *canes*. In *Psalm.*, Tit. 1. v. 12. Quales illi qui vocantur canes, 2. Pet. 2. v. 22. & *Psalm.* 22. v. 17. aut *Esai.* 56. v. 10. Hi enim non in ouili, sed foris sunt, Apoc. 2. vers. 15. Alii serpentes, *Psalm.* 140. v. 4. *Esai.* 59. v. 5. vocantur. Alii hirci, *Matth.* 25. v. 33. *Zach.* 10. v. 3. Et cætera. Nos simus oves si volumus quæri & seruari: hoc est, 1. patientes, *Esai.* 35. v. 7. & 2. viles, ad omne opus bonum, 2. *Tim.* 3. v. 17. Sicut omnia in ouibus sunt vilia.

F I N I S.

THEMA LXXI.

*Psalm.* integer 121.

*Leuavi oculos meos in montes, &c.*

DISPOSITIO

Consolatorius est hic *Psalmus*, in quo *Spiritus sanctus* docet, quid pii à Deo expectare possint & debeant. Et qui ex fide hunc *Psalmum* orauerit, experietur etiam fructum huius orationis, auxilium diuinum, & in tribulatione, & in omni vocationis genere.

Dux autem præcipuæ sunt partes *Psalmi*. In 1. ostendit *Psalmes*, quid faciat quotidie, quando auxilio opus habeat: & vnde auxilium speret.

In altera ostendit, quomodo Dei auxilium sit paratum & comparatum. De his dicemus.

I. Pars.

Primum ostendit *Psalmes*, quæ sint quotidiana ipsius exercitia. *Leuavi oculos meos ad montes*, vnde veniat auxilium mihi. Intelligit se oculis leuatis sursum, orare.

Per montes vel intelligit montem illum, in quo tabernacu-

nacu-

maculum Domini, & arca propitiatorii tum erant posita, ubi Deus suam se præsentiam declaraturum promisit. Sic enim orantes conuerti ad eum locum solebant, Dan. 6. vers. 10.

Vel intelligit se suspicere in cælum. Quia hoc aspectabile cælum montibus inniti videtur, si de longe aspiciamus.

Alii aliter exponunt, sed hæc videtur esse conuenientissima Textui, qui mox de cælo sonat.

Deinde vero addit: Num frustra oraturus aspiciat montes. Minime vero Auxilium meum venit à Domino; à quo illud etiam expecto. Estque hic versus prioris explicatio, ad quem suspiciat Dauid, ad eum scilicet, cuius cælum est sedes, & terra scabellum, Esa. 66. v. 1.

Tertio, Causa additur, quare à Deo solo expectet, auxilium: in his verbis, qui fecit cælum & terram: hoc est, quia omnipotens est, Creator cæli & terræ

Lo c v s. Videmus in omnibus difficultatibus arripendas preces, & suspiciendum in cælum.

[Exemplo Iosaphati, 2. Paral. 20. v. 12. Nescimus, &c. Stephanus in cælum suspicit, Act. 7. v. 55 Salomon in cælum extendit manus suas, 1. Reg. 8. v. 22. Christus in cælum suspicit Marc. 6. v. 41. & 7. v. 34. Joan 17. v. 1.]

Neminem autem inuocandum præter eum, qui fecit cælum, &c. Hoc autem fecit Pater, Filius & Spiritus sanctus, iuxta id Psal 33. v. 6. vbi tres nominantur personæ: Verbo, (quod est Filius Joan. 1.) Domini, (qui est Pater) cæli firmati sunt: & omnis exercitus eius, spiritu oris eius qui est Spiritus sanctus.

Non inuocandi illi patroni tutelares quatuordecim, (Nothesser) quos Pontifici colunt: Non sperandum auxilium verum ab hominibus: imo maledictus qui confidit in homine, Jerem. 17. Non in diuitiis, quæ non profunt Proverb. 11. v. 4.

Non speret Dauid in 130000. viris bellatoribus. Non confidit in thesauris relictis salomoni. Qui fecit cælum

Ium & terram, est auxiliator in tempore opportuno, Psal.  
9. v. 10.

Non autem semper iuuat eo tempore, ea ratione, quã  
do & quomodo nos volumus. Nam qui fecit cœlum &  
terram, antequam nos essemus, optime nouit, quando  
auxilio, & quali, opus nobis sit. *Er weiß wol wann am  
besten ist: vnd brauchet an vns kein argen List. Das sollen  
wir ihm vertragen.*

Magna hæc consolatio contra pusillanimitatem cum  
omnia sunt deplorata, & desperata, & cum deserti sumus  
ab omnibus, à quibus aliquid poteramus sperare præsi-  
dii. Vbi desinit humanum, ibi incipit diuinum auxilium.  
De cœlo auxilium. Qui fecit cœlum, eius manus non ab-  
breuiata est, Esa. 59. v. 1.

Neque enim fecellit Dauidem spes, vt iam sequitur.

### II. Pars.

Docet enim porro, quale sit auxilium Dei, & in quibus  
consistat in quibus necessitatibus sit sperandum.

I. Non dabit in commotionem pedem tuum. Hoc est,  
cum faciles sint lapsus humani, & facile incidamus in  
peccata, Dominus auerter multa peccata, ne labamur &  
excidamus gratia ipsius. *Er muß vns führen / wie ein  
Kind auff dem Glac. / Bis / daß wir nicht schleuffen vnd  
fallen.*

II. Aliud genus auxilii. Dominus custodiet te. Et um-  
bra est super manum dexteram: Hoc est, in omnibus ne-  
gotiis vocationis, (quia manu vt plurimum dextera con-  
ficimus nostra negotia, labores, &c.) custodiet te Domi-  
nus. *In allen deinem Thun.*

III. Vmbra gratam præbebit, ne æstus solis, aut  
lunæ humectatio noceat. Per æstum solis tribulationes  
variæ, quæ exsiccant: Per lunam, voluptates noxiæ intel-  
liguntur. Secundis igitur & aduersis rebus proteget te Do-  
minus.

Ne autem quis cogitet, imparem fore Dominum tot  
myria

myriadibus hominum semper & ubiq; custodiendis hanc intersperfit occupationem: Non dormit Dominus. Si enim is vno momento dormiret, Diabolus nos perderet, At qui cœlum fecit, omnipotens est, non dormitat. Non enim homo est custos Israël.

I V. At non solum corporaliter defendit: sed & animam defendit. Et quidem ab omni malo. Pecces ne labantur. Manus ne faciant mala. Per diem. Per noctem. Omni tempore. Omni loco. Omni modo & ratione, ubi ope indigemus.

Vorum itaque subnectit: Quia igitur tam bonus & vigilans custos est: Custodiat introitum & exitum tuum: id est, totam vocationem tuam. Introitus enim & exitus significat vocationem, vt patet ex 2. Sam. 5 v. 2. & 1. Sam. 18. vers. 13. Quod si velimus intelligere, de vita & morte, nihil erit incommodi. Etenim sic etiam Dei manus omnipotens nunquam nobis deest, vel nascituris & hunc mundum ingressis, vel etiam egressuris ex hoc mundo & morituris. De quo in sine plura.

### L O C I.

I. In prima parte diximus, Deum pro auxilio esse rogandum, & auxilium ab ipso solo expectandum.

Nunc vero docet secunda pars, Quare auxilium ab ipso petere & expectare debeamus.

1. Hoc autem petendum, ne sinat tibi pedes nostros. Et illud in oratione Dominica his verbis petimus. Ne nos inducas in tentationem.

Aut si lapsi fuerimus, vt ipse manum supponat, ne collidantur & frangantur pedes nostri, vt non possimus amplius surgere, a peccatis scilicet. sed vt ipse rursus erigat, vt redeamus cum ipso in gratiam per pœnitentiam.

Hæc oratio admodum necessaria est: quia nisi is pedes nostros præseruaret à lapsu, nunquam recta via incederemus.

Et propterea interdum tibi finit, vt agnoscamus, Deo ducto,

ductore nobis opus esse semper. Alioquin qui stant, sibi hoc tribuunt, & gloriatur. At metus est ne mox cadant. 1. Cor. 10. v. 11. *Uad lãst sie Gott; Naut offi grob zerfallen.* Vt agnoscant à Deo esse, quod steterunt hactenus.

Ideoq; sæpius gratias agit David, quod seruauerit pedes ipsius à lapsu, Psal. 56. v. 14. & 116. v. 3.

2. Deinde orandum, vt Dominus in omni genere vocationis nos custodiat, & cingat sanctis Angelis suis ne impingamus & pereamus. Quod promisit ipse, Psal. 91. v. 11. Et castrametatur Angelus Domini, Psal. 34. v. 8. Sunt illis spiritus ministratorum, Heb. 1. v. 14.

Modo sic agamus, ne illos contristemus, qui sunt spiritus mundi. Alioquin recedunt, & referunt id Deo suo, coram quo astant quotidie, Dan. 7. v. 10. Matth. 18. v. 10.

3. Imprimis vero orandum, vt tristitia siue secunda sint tempora, Dominus gratam umbram præbeat: ne vel aestu grauissimarum tentationum aut tribulationum absorbeamur: Vel ne etiam rebus secundis efferamur animo: Sed vt in die bona & mala faciamus officium vocationis fideliter, Eccl. 7. v. 15.

Radii enim lunæ (hoc est voluptatum radii, qui sunt humidi, & propterea frigidi & grati) plures homines perdiderunt, quam solis æstus, id est, calamitates vrentes.

Exemplo ipse David esse potest: qui tribulatus Psalms cantauit, & securus atque quietus, factus fuit aduiter, 2. Sam. 11.

4. Et tandem quoque rogandus Dominus, vt si maxime corpus patiatur affligi, animam tamen elementer custodire velit, ne pereat. Atque (quod ipsum etiam Christus orare iussit) tandem liberet ab omni malo.

Has preces, si fluant ex corde pœnitentis & fidei, pondus apud Deum habituras, nihil est quod dubitemus. Faciet enim voluntatem timentium, Pla. 145. v. 19. Et petentibus panem, non dabit lapidem. Luc. 11. v. 11.

II. Maximam vero CONSOLATIONEM ex illa custodia diuina petere possunt & debeat omnes piii

PIE.

præsertim quod sciunt, DEVM ne vnũ quidem momentũ cessare à suis vigiliis & custodiis pro Ecclesia.

Hierem 31. vers. 28. *Vigilabo super eos, vt ædificem & plantem, ait Dominus.*

Estque hæc magna differentia inter præstidia humana, & Custodiam diuinam. Si hominibus custodia nostri permitteretur, facile periremus. Illi enim ignaui, somnolenti, & interdum etiam fallaces sunt.

At Deus peruigil Israelis custos nunquam defatigatur. Cælum enim & terram custodit. Exempla, quomodo suos custodiuerit, passim sunt obuia. De Athanasio vide hist. Eccl. Rustia. lib. 1. cap. 34.

At quomodo, inquis, conuenit hic locus cum eo, qui Psal. 44 extat: *vbi excitat Dominum, Eugila, quare dormis? v. 24.*

Respond. Illic loquitur Dauid secundum sensum carnis. Caro enim putat Deum dormire, quando non mox sentit auxilium. At hic loquitur secundum spiritum, sicut res habet in veritate. Non dormit Dominus. Simulat autem se dormire interdum [ Jer. 11. v. 26. ] vt excitemus ipsum precibus, sicut discipuli Christum, Matt. 8. v. 25.

III. Votum hoc Davidis, in fine Psalmi, frequenter in ore & in corde habeamus? vt oremus in omnibus actionibus viuentes & morituri, Custodi introitum & exitum meum, ex hæc nunc & vsque in seculum.

Et sane introitum, in hunc mundum, elementer custodiuit, dum in vtero formauit non tantum, Hiob. 10. vers. 12. Psalm. 139. v. 15. sed etiam eduxit, Psalm. 22. v. 10. & 71. v. 6.

Ingressum & egressum nostrum, (quod significat vocationem, iuxta id Deut. 28. v. 6. Egrediens & ingrediens benedictus eris) vt custodiat ardentem, orandum est: vtq; gratiam semper præbeat vmbra, ne pereamus in variis huius mundi malis, & periculis. Quod fiet si veri Israelitæ fuerimus, Joh. 1. v. 47. Israel enim castos Dominus.

Tandem etiam rogandus, vt exitum nostrum ex hac vita,

vita, quando per vallem tenebrosam, Psalm. 23. v. 4. transeundum est, custodiat, & ad sit consolatione illa Spiritus sancti, de qua Rom. 8. vers. 16. atque animam nostram in manus suscipiat. Act. 7. v. 59.

F I N I S.

## THEMA LXXII.

Psalm. 26. v. 5. 6.

*Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.*

*Euntes ibant & flebant, portantes semina sua, venientes autem veniunt cum exultatione, portantes manipulos suos.*

## DISPOSITIO.

Audimus in his Psalmi verbis mentionem fieri sationis & messis. Neque vero id secundum literam intelligendum, præcedentia huius Psalmi verba luculenter ostendunt. At scripturæ non infrequens est illa similitudo de re rustica in Vet. & Nono Testamento, & quia omnibus hæc sunt nota, proinde etiam facilius intellectus. Ideoque ipse filius Dei his similitudinibus multum delectatus, & frequenter usus est; De seminantibus, messoribus, &c. Luc. 8. Matth. 9. 13.

Nobis itaque hæc Spiritus sancti comparatio debet esse grata: quæ per se (vbi rem intellexerimus) iucundissima est.

Dicemus itaque primum, Qualis hæc satio, & qualis messis: siue quæ ratio comparationis.

Deinde quis huius comparationis usus.

## I. Pars.

Si totius Psalmi argumētum rectius consideraerimus, patebit, hæc comparatione Plaltem respicere, ad miseria huius, & gaudia alterius vitæ: adeoque miseria comparare sationi gaudia vero messi aut spicilegio.

Q

Rationem